Barthol. Quaestio de testamentis ad piam causam.

2428 Pravo

QVÆSTIO
DE
TESTAMENTIS
Ad piam causam:

QVAM

Præsidente Clarissimo & Consultiss: viro D. ANDREA PETRICOVIO, I. V. Doctore & Professore Ordinario,

M. BARTHOLOMÆVS IANVSCHOWIC, I. V. *Professor, Collega DD. Iurisc. Collegij, Can. Louicien. pro Licentia in vtroq; Iure assequenda,* publicè ad disputandum proponet.

In Collegio DD. Iurisperitorum, Die Ianuarij, Hora 7. Anno MDC. XXIX.

CRACOVIÆ,
Typis Matthiæ Andreouiensis.

In Stemma Acad. Crac.



Insignis duplici nostra est Academia sceptro,
Forte quod Imperij ius vtriusq; docet.

QVÆSTIO.
DE
Teſtamentis ad piam cauſam.

Ex c. Relatum. el. 1.

EXT. DE TESTAMENTIS & VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

Juncta L. 1. C. de Sacroſanctis Eccleſiis.

V. Teſtamẽtum imperfectũ, ruptum, irritum, vel aliâs de iure nullum, dum imperfectio in ſubſtantia teſtamenti non ſit, fauore pię cauſę ſuſtineatur, ita quod non obſtãte nullitatis exceptione legata ad piã cauſam à defuncto facta, ab hærede neceſſariò, non modo in terris Ec-

clesiæ, sed etiam in locis imperio Romano subiectis, veniant præstanda: necne?

CONCLVSIO I.

Testamentum, ex defectu solennitatis Iure ciuili nullum, factum ad piam causam in terris Ecclesiæ & Imperij iure sustinetur.

COROLLARIA.

1. *Institutio hæredis (quæ Legistis est caput testamenti) ad pias causas omissa, non impedit eius effectum.*

2. *Testamentum coram duobus testibus deponentibus, non rogatis, nec inscriptis, ad piam causam ita firmum manet quòd etiam rumpat & infirmet prius testamentum solenniter coram septem testibus peractum.*

3. *In testamentis ad pias causas ex post facto posse aliquem pro parte testatum, & pro parte intestatum decedere, nullum esse absurdum sustinemus.*

4. Si post mortem testatoris vltima voluntas ipsius disponentis manu reperiatur scripta vel subscripta, ita vt hoc dubium non sit: quo ad pia legata seruanda est, tametsi coram testibus aut Notario non sit nuncupata.

5. In puris legatis ad pias causas non habet Falcidia locum, ne per obliquum quidem; nisi pia causa sit hæres instituta, aut detracta Falcidia possit nihilominus adimpleri voluntas, aut etiam aliud relictum sit ad non piam causam: tunc enim pro rata tantum vtriusq; legato detrahetur; aut denique nisi aliud ea de re testator disposuerit.

Conclusio II.

Testamentum imperfectum, vt fauore piæ causæ sustinetur, ita piam causam non excedit.

COROLLARIA.

1. Testamentum principaliter factum alio quàm pietatis respectu minus solenniter, nullum erit quo ad principale: valet tamen quo ad legata pia in eo contenta. Secus si principaliter fiat causa

pietatis, tunc enim coram duobus testibus factũ valet etiam quo ad reliqua legata ad causam profanam relicta.

2. *Hæres legitimus ab intestato, in foro externo non tenetur legatarijs scriptis in testamento imperfecto inter extraneos restituere legatum vel hæreditatem: tametsi certò sciat eam fuisse voluntatem defuncti, vt prædicta legata soluerentur. An autem idem dicẽdum sit in foro animæ? problema facio.*

3. *Non tamen inficiamur si testamentum ad causam profanam sit irritum & nullum, ex causa præteritionis vel ex hæredationis liberorum: nihilominus legata in eo disposita, etiã alia quàm pietatis contemplatione facta firma manere.*

4. *Idem sequimur in testamento imperfecto inter liberos: hoc enim valide sustinetur alio tamen iure quàm ex dispositione textus nostri.*

5. *In testamento ad causam profanam ius Canonicum vltra duos testes requirens præsentiam Parochialis Præsbiteri, vel loco eius alios*

duo

duos testes, procedit in prouincijs Ecclesiæ Romanæ quoad temporalem iurisdictionem subiectis duntaxat, & non interris Imperij.

Conclusio III.

Testamentum ex defectu essentiali & intrinseco nullum vel imperfectum, fauore vel Priuilegio piæ causæ non sustinetur.

COROLLARIA.

1. *Defectus voluntatis in testatore, extra omne dubium testamentum imperfectum ad piam causam nullum & inualidum facit.*

2. *Si defunctus animo testandi ad piam causam inchoarit testamentum nec perfecerit, quia scilicet non ordinauit de aliqua portione bonorum alioue Legato, testamentum ita imperfectum non sustineri arbitramur.*

3. *Idem iuris est quando vltima voluntas testatoris eßet perfecta quo ad Legata pia, imperfecta quo ad alia, quod fit, quando quis animo deli-*

deliberato coram idoneis testibus inceperit condere testamentum, & cùm piam causam instituisset hæredem, vel pietatis causa aliqua legâsset, velletq; alia ad causam profanam seu inter extraneos disponere, priusquàm complesset decessit.

4. Vltima voluntas captatoria, scilicet quæ pendet ex alieno arbitrio & in alterius voluntatem confertur: vt si testator dicat; cõmitto dispositioni Titij omnia mea bona: in Legat[illegible] ad pias causas tenet & est valida.

5. Relictum ad pias causas repertum cancellatum in vltima voluntate, censetur iuris præsumptione inconsultè cancellatum, absq; testatoris intentione, si non constat de eius voluntate.



